



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 93. Vtrum ad hoc, vt actus supernaturales sint meritorij vitæ æternæ,
debeant esse elicitī, vel imperati à charitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

ra bona, etiam naturalia esse gratiam per Christum. Alij id negant. Transmisso hoc, dico cogitationem congruam ad opera bona merè naturalia esse gratiam ordinis merè naturalis; opera autem procedentia ex gratia ordinis merè naturalis, non esse meritoria vitæ æternæ, & præmij supernaturalis.

34. Ad 6. Respondeo iustos regulariter, cum faciunt bona opera, illa facere ex fide, quæ proponit finem supernaturalem, adeoque ex fine, & motivo supernaturali, & per actum voluntatis intrinsecè supernaturalem, & sic meritorium vitæ æternæ. Falsum proinde est innuenera opera iustorum carere præmio supernaturali. Opera etiam bona naturalia, quæ aliquando exercent, potest Deus compensare præmio aliquo naturali.

35. Ad 7. Iusti per bona opera naturalia fiunt magis iusti aliqua iustitia secundum quid, naturali, & imperfecta, qua merentur aliquod præmium naturale, at non fiunt magis iusti iustitia supernaturali, ideoque non merentur præmium supernaturale.

36. Ad 8. Sicut actus externi ex se non meritorij, cum imperantur per actus internos, constituuntur meritorij denominatiue, sed ita, ut non augeant meritum actuum internorum; sic actus interni naturales ex se non meritorij præmij supernaturalis, cum imperantur per actus internos supernaturales, constituuntur denominatiue meritorij præmij supernaturalis, sed ita, ut non augeant meritum supernaturale actuum supernaturalium, à quibus imperantur, ut dictum est num. 28.

QVÆSTIO XCIII.

Utrum ad hoc, ut actus supernaturales sint meritorij vitæ æternæ, debeant esse elicitus, vel imperati à charitate?

1. **V**idetur solus actus elicitus à charitate esse meritorius de condigno præmij substantialis, hoc est augmenti gratiæ sanctificantis, & visionis beatificæ; actus autem aliarum virtutum infusarum mereri de condigno solum præmium accidentale; primò quia S. Thomas 1. p. quaest. 95, artic. 4, dicit. *Quantitas meriti ex duobus potest pensari: primò ex radice charitatis, & gratiæ, & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione; alio modo considerari potest quantitas meriti ex quantitate operis, qua quidem est duplex, scilicet absoluta, & proportionalis, & tamen utraque respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato.* Idem videtur docere S. Bonaventura in 2. distinct. 40. artic. 2. quaest. 3.

2. Secundò Scriptura soli charitati, seu dilectioni Dei promittit præmium essentialis visionis Dei; ergo &c. Probatur antecedens, afferendo loca Scripturæ. Ioann. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Ad Gal. 7. *Neque*

circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, neque auris audivit, & in cordibus non ascenderunt, quæ preparavit Deus diligentibus se.* Iac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam preparavit Deus diligentibus se.*

3. Tertiò præmium substantiale correspondet nostræ iustitiæ apud Deum; sed sola charitas est nostra iustitia iuxta illud Augustini lib. de natura, & gratia, cap. 42. *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia, & cap. 70. Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est; ergo &c.*

4. Quarto meritum de condigno debet esse æquale præmio æqualitate proportionis, sed solus actus charitatis potest esse æqualitate proportionis præmio substantiali visionis, amoris, ac fruitionis beatificæ; ergo &c. Probatur minor: nam per visionem amoris, & fruitionem anima vnitur Deo perfectè, quantum in termino potest, ac debet vniri; ergo illis proportionatur actus, quo anima in via vnitur Deo perfectè, quantum in via potest, ac debet vniri; sed per solum actum charitatis anima in via vnitur Deo perfectè, quantum potest, ac debet vniri; ergo &c.

5. Quintò videtur, quod actus supernaturales aliarum virtutum non possint esse de condigno meritorij vitæ æternæ, & præmij substantialis, nisi imperentur per actum charitatis, vel tunc existentem, vel præteritum, sed remanentem in sua virtute. Ut enim opera mereantur de condigno præmium supernaturale, debent referri in Deum vltimum finem supernaturalem; sed proprium charitatis est referre opera in Deum vltimum finem supernaturalem; ergo &c.

6. Sexto augmentum præmij substantialis, hoc est visionis, amoris, & fruitionis beatificæ correspondet augmento gratiæ, & charitatis habitualis; sed habitus charitatis augetur solis actibus elicitis, vel imperatis à charitate; ergo soli actus elicitus, vel imperati à charitate augetur, & merentur de condigno præmium substantiale, ac proinde actus aliarum virtutum infusarum, ut mereantur de condigno præmium substantiale, debent imperari à charitate.

7. Respondeo tres esse sententias. Prima Bannez 2. 2. quaest. 24. art. 6. Dub. 5. & aliorum, qui illam tribuunt S. Thomæ, & S. Bonaventuræ locis citatis in secundo argumento, docet solos actus elicitos à charitate mereri de condigno præmium substantiale, actus aliarum virtutum infusarum mereri tantum præmium accidentale.

8. Secunda docet actus aliarum virtutum infusarum, ut mereantur de condigno præmium substantiale, debere imperari, & referri in Deum per actum charitatis, vel actualiter, hoc est per actum tunc existentem, vel virtualiter,

lier, hoc est per actum præteritum, & remanentem in sua virtute. Ex auctoribus huius sententiae Durandus in 3. Dist. 25. quaest. 8. & Paludanus ibi quaest. 4. art. 3. videntur docere, quod debent referri actualiter, & per actum tunc existentem: Bellarminus lib. 5. de Iustificat. cap. 15. docet sufficere, vt referantur virtualiter per actum præteritum, & remanentem in sua virtute.

9. Tertia sententia Suariz lib. 2. de Gratia, cap. 9. & aliorum satis communiter, docet omnes actus virtutum infusarum, & intrinsicè supernaturales factos ab homine iusto esse de condigno meritorios augmenti gratiæ, & gloriæ substantialis, etiam si neque actualiter, neque virtualiter imperentur per actum distinctum charitatis.

10. Dicendum primo cum Theologis communiter contra primam sententiam; non soli actus charitatis, sed etiam actus aliarum virtutum infusarum intrinsicè supernaturales, & facti ab homine iusto ex motivo, & sine supernaturali, sunt de condigno meritorij præmij substantialis, hoc est augmenti gratiæ, & gloriæ.

11. Probatur primo; nam iusti per omnes actus honestos, per quos se movent ad suum ultimum finem supernaturalem, merentur de condigno consecutionem sui ultimij finis supernaturalis, ac proinde præmium substantiale, quod consistit in consecutione talis finis; sed iusti per omnes actus supernaturales virtutum infusarum etiam moralium se movent ad suum ultimum finem supernaturalem; ergo &c. Probatur minor: nam vt dictum est supra quaest. 76. num. 8. actus virtutum moralium supernaturalium per hoc differant ab actibus virtutum moralium naturalium, quod per actus virtutum moralium naturalium amamus honestatem e.g. temperantiæ, iustitiæ &c. prout conducentem ad ultimum finem naturalem; per actus virtutum moralium supernaturalium amamus honestatem ipsarum, prout conducentem ad finem supernaturalem, ac proinde amamus etiam ipsum finem supernaturalem, & ad illum mouemur per amorem; ergo quandoquidem iusti per omnes actus honestos se movent ad finem supernaturalem, merentur de condigno eius consecutionem, ac proinde præmium substantiale.

12. Probatur secundo conclusio: nam Scriptura promittit præmium substantiale beatitudinis, non solum actui charitatis, sed bonis operibus iustorum factis propter Deum ultimum finem supernaturalem; sed omnes actus honesti supernaturales fiunt propter Deum ultimum finem supernaturalem, vt explicatum est; ergo &c. Probatur maior, affectendo loca Scripturæ, Matth. 19. Christus roganti: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*; respondet. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, & statim enumerat præcepta moralia. Ioann. 5. vniuersaliter dicitur: *procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ*; Matth. 16.

ad Rom. 2. 1. ad Corint. 3. 2. ad Corint. 9. Psalm. 61. Ecclesiast. 16. Deus dicitur *unicuique daturus mercedem secundum opera sua*; 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam*; sed vita æterna est præmium substantiale; ergo &c.

13. Probatur tertio; nam Trident. sess. 6. cap. 16. dicit: *bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam*; ergo docet non soli actui charitatis, sed alijs bonis operibus iustorum reddendam mercedem vitæ æternæ, quæ est præmium substantiale. Hoc idem etiam docent communiter Patres.

14. Dicendum secundo contra secundam sententiam; vt actus supernaturales iustorum sint meritorij vitæ æternæ, & præmij substantialis, non requiritur, vt referantur in Deum actualiter, vel virtualiter per distinctum actum charitatis.

15. Probatur: nam eatenus deberent referri in Deum per actum distinctum, quatenus per se ipsos non tenderent in Deum; sed ex dictis num. 11. omnes actus supernaturales virtutum infusarum etiam moralium amant suas honestates, vt conducentes ad ultimum finem supernaturalem, ac proinde se ipsis tendunt in Deum sub ratione ultimis finis supernaturalis, ideoque sunt quædam participatio caritatis; ergo &c. Ex hoc fundamento facile possunt solui fundamenta aliarum sententiarum.

16. Ad 1. S. Thomas 1. p. quaest. 95. art. 4. dicens, quantitatem præmij substantialis respondere quantitati charitatis, & gratiæ, quantitati autem operum correspondere præmium accidentale, videtur loqui de gratia, & charitate habituali, ac videtur docere, quod tanta in vnoquoque erit beatitudo substantialis, quanta est gratia, & charitas habitualis, siue egerit plura, & maiora opera, seu pauciora, & minora; operibus autem correspondebit præmium accidentale, itaut qui fecerit plura, & maiora opera, sit habiturus maius gaudium accidentale de bono creato ipsorum operum, Explicatur Monialis, quæ vixerit in monasterio occulta oculis hominum, si moriatur cum æquali gratia, & charitate, ac S. Franciscus Xauerius, vel S. Antonius de Padua, habebit æquale præmium substantiale, hoc est æqualem visionem, & fruitionem Dei; at habebit minus præmium accidentale, hoc est minus gaudium de operibus factis. Nam S. Franciscus Xauerius, & S. Antonius de Padua habebunt multo maius gaudium de operibus factis in conuersione animarum, quam illa monialis de operibus factis in officijs monasterij. Adde, quod si S. Thomas explicetur de charitate actuali, debet intelligi de charitate formalis,

malij, vel participatiua, itaut sensus sit, quod tantum sit meritum præmij substantialis, quanta est gratia, & quantus est actus voluntatis, quo fit, qui actus, quia includit aliquem amorem vltimi finis supernaturalis, est actus charitatis formalis, vel participatiuæ; quantitati autem operis correspondet præmium accidentale. Si ergo duo faciant opera inæqualia cum æquali gratia, & actu voluntatis æquè honesto, merebuntur æquale præmium substantiale, hoc est æqualem visionem, & fruitionem Dei, sed inæquale præmium accidentale. Eodem pacto potest explicari S. Bonauentura, & alij antiqui.

17. Ad 2. Scriptura promittit præmium, non soli charitati, ac dilectioni, sed omnibus operibus bonis factis ex motiuo, & fine supernaturali, vt dictum est num. 12. Adde, quod dum promittit præmium charitati, loquitur de charitate, non solum formali, sed participatiua; omnes autem actus honesti supernaturales, cum includant aliquem amorem vltimi finis supernaturalis, sunt charitas quædam participatiua, vt dictum est num. 14.

18. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem: sola charitas formalis est iustitia, nego: sola charitas, vel formalis, vel participatiua est iustitia, concedo: & distingo eodem pacto consequens. Dum dicitur, quod charitas est iustitia, non significatur, quod sola charitas formalis, sed etiam quod participatiua est iustitia; & quia omnes actus virtutum infusarum sunt charitas participatiua, idè sunt etiam iustitia, ac proindè merentur præmium substantiale.

19. Ad 4. nego minorem, ac dico, quod quia præmium substantiale consistit in consecutione Dei, vt vltimi finis supernaturalis, omnis actus, quo iustus mouetur in Deum, vt suum vltimum finem supernaturalem, est proportionatus tali consecutioni, ideoque potest esse meritorius de condigno talis consecutionis. Adde, quod ad actum meritorium de condigno fruitionis Dei, non requiritur proportio consistens in hoc, vt sicut beati in termino per amorem fruitiuū vniuntur Deo, quantum possunt, sic per amorem viæ vniuntur Deo, quantum possunt; alioquin solus actus, quo amamus Deum quantum possumus, hoc est tota intensioe hic, & nunc nobis possibili, esset meritorius præmij substantialis, quod neque aduersarij concedunt. Cum enim nunquam, vel pene nunquam amemus Deum tota intensioe amoris hic, & nunc possibili, sequeretur, quod nunquam, vel pene nunquam mereremur præmium substantiale.

20. Ad 5. concedo maiorem, & distingo minorem: proprium charitatis formalis, vel participatiuæ est referre opera in Deum, vltimum finem supernaturalem, concedo: proprium solius charitatis formalis, nego minorem; & nego consequentiam. Omnes virtutes infusæ referunt sua opera in Deum vlti-

imum finem supernaturalem, ideoque participant aliquid de charitate, & possunt per se actus mereri de condigno præmium supernaturale, absque eo quod referantur in Deum per actum charitatis distinctum.

21. Ad 6. concedo maiorem, & distingo minorem: habitus charitatis augetur meritorie à solis actibus elicitis, imperatis, vel dignificatis à charitate habituali annexa gratiæ sanctificanti, concedo: itaut non augeatur ab actibus dignificatis à charitate habituali, nego; & nego consequentiam. Habitus per se infusus augetur ab actibus efficienter, sed solum meritorie, vt dictum est supra, quæst. 72. num. 8. & 9. Ideo vt habitus gratiæ, & charitatis augeantur meritorie ab actibus, sufficit, vt actus dignificentur ab habitu gratiæ, & charitatis; sed actus supernaturales aliarum virtutum, cum eliciuntur à iustis, dignificantur ab habitu gratiæ, & charitatis; ergo possunt meritorie augere habitus gratiæ, & charitatis, à quibus dignificantur. Adde, quod quia gratia, & charitas in iustis sunt radix omnium virtutum infusarum, sunt radix mediata omnium actuum elicitorum à virtutibus infusis, ideoque cum omnes actus virtutum infusarum procedant mediata ab habitu gratiæ, & charitatis, possunt meritorie augere tales habitus.

QVÆSTIO XCIV.

Virum actus externi, & interni efficaciter determinatè imperati addant meritum supra actus voluntatis imperantes?

1. **V**idetur vera sententia Scoti Quodlibet. 18. art. 3. ac Durandi in 2. dist. 4. quæst. 2. docens actum externum ab honesta voluntate imperati habere suum proprium meritum, ratione cuius apud Deum magis meritorium sit velle, & facere, quam solum velle, etiamsi vtrumque velle sit æquale primo quia actus exterior est simpliciter liber, habet suam propriam difficultatem, & vtilitatem in ordine ad obsequium, & gloriam Dei, ideoque maius auxilium Dei necessarium ad ad opus volendum simul, & exequendum, quam ad volendum tantum, vt docet Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. & in chiridio, cap. 3. 2. ergo actus externus habet suum proprium meritum.

2. Secundo martyrium re ipsa toleratum est magis meritorium, quam sola voluntas desideratum, vt cum Bernardo Epist. 77. Hugo enim communiter docent Theologus, ergo etiam alia opera externa addunt nouum meritum supra actum internum, voluntatis.

3. Tertiò si executio operis non addat meritum supra voluntatem exequendi operis, qui haberet voluntatem efficacem faciendi, omnes actus honestos, quos fecerunt Apo-